



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. An Euangelium ante consummationem sit prædicandum in
vniuerso orbe?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

quæ non potest vinci, sed quoniam ille qui victus est, nullus
victus fuit: adeo idem ille victor bene valens postea compa-
ratus, etiam superatus recedit. Non aliter hereses, de quo-
rundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes, si
in bene valentem fidem incurrant.

Et cap. 7. Solent quidem isti miriones etiam de quibus-
dam personis ad heresi capitis edificari in ruinam. Quare illa
vix illa fidelissimi, prudentissimi, & visitatissimi in ecclesia, in
illam partem transferunt? qui hoc dicens non ipse sibi respon-
det, neque prudentes, neque fideles neque visitatos astimandos,
quos hereses potuerint demutare? Et hoc mirum (opinor) ut
probatur aliquis retro postea excidat? Saul bonus præ ceteris;
hinc postea cecidit. David vir bonus secundum cor domi-
ni, postea cecidit & stupri reus est. Salomon omni gratia & sa-
pientia donatus a Domino ad idololatriam à mulieribus indu-
citur. Sicut enim Dei filio servabatur sine delicto permanere.
Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si Vidua, si Virgo, si Do-
ctor, siiam Martyr lapsus à regula fuerit ideo hereses veritati
tem videntur obtinere.

At dicent: Non fuisse eos Christianos, qui scan-
daliari poterunt. Quos ergo horat Christus, ut
videant, ne seducantur, si Christianus seduci non pos-
sit? si autem seduci potest, cur non etiam scandaliza-
ri? cur illi vero scandalizari dicuntur, qui nunquam
vere crediderunt, sed hypocritæ latuerunt? Zwin-
glius eos fidem simulasse arbitratur, Bullingerus à fi-
dei professione defecisse. At illi qui fidem simulant,
fideque profitentur, cum sint athei, atque irrisores
religionis non scandalizantur, cum larvam abiciunt,
sed ingenue fucum produunt. Vorstius p. 2. Tessera-
dec. antipostoriana: In paucis locum habere dicit illam
hypocritarum suorum, nec vulgarem esse; nam nimis mul-
tos deficere videbat: & ab ea fide, de qua iam sibi cer-
tus erat, post defecit.

VERSUS 12.

Et quoniam abundavit iniquitas re-
frigesceat charitas multorum.

QVÆSTIO I.

Quomodo refrigesceat charitas?

§. 1. GRÆCUS textus habet ὅτι τοὶ πολλοὶ ἀδικοῦντες, ob
multitudinem iniquitatis, sic & Syrus con-
uertit. Quod in Græco est ὅτι πολλοὶ ἀδικοῦντες, refrigesceat.
Syrus recte ἀδικοῦντες, elanguescet. Caritatem homi-
nis erga Deum, & Dei servos intelligo, nemo Chris-
tianos excipiet facile, aut adiuvabit, 2. Timoth. 4. 6.
In prima mea defensione nemo mihi adfuit.

Caritatis refrigerationem accipio non imminutio-
nem aliquam duntaxat aut remissionem, sed extin-
ctionem. Nam opponitur perseverantia, qua sal-
vatur. v. 13. Constat igitur, ut docet Bellarm. lib. 3.
de iustificat. cap. 14. iustos posse deficere, caritatem
amittere, certe caritas multorum ante multitudinem
iniquitatum illis inerat, deinde refrigesceat, & perit,
perire non potuit, si nulla erat. Nec caritatem hypo-
critearum intelligere possunt adversarii, illa est frau-
dulenta amoris simulatio, nec iniquitatum multitu-
dine refrigesceat, sed ipsa non minima pars est iniqui-
tatum, sic blandiens, dolose persequens, Christus
de ea caritate loquitur, in qua qui perseveraverit, sal-
vus erit. Qui autem perseveraverit usque ad finem, salvus
erit. Perseverantia vero est, caritatis sincera ad finem
usque tutio, atque adeo fidei cæterarumque virtu-
tum, quas negant semel datas posse amitti: non con-
vertant alios esse. Perpetuas sunt tuitantes omnia,

perseverantes, non cedentes iniquitati, alios non
perseverantes, non, quia illa non habuerint; habe-
bant enim, sed in dono Dei non perseverarunt. Fi-
stra vero obtendunt, de perseverantia certos esse, cum
tot videant cadentium lapsus. Augustinus lib. 11. Nemo de
de civitat. cap. 12. Pios ait dicit beatos, qui licet de perse-
verantia premio certi sint, de ipsa tamen sua perseverantia
reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione profe-
ctum iustitiam, perseveraturum usque ad finem sciat, nisi a-
liqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re, iusto la-
tentique iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit?
Zwinglius sensum inuersum esse ait. Quandoquidem
carnas ita infringit, scelus inundat, male enim accom-
modat, cum ait, Deum esse caritatem. Hoc enim loco
caritas refrigesceat non est Deus. Bullingerus, veram
pietatem, beneficentiam, & religionem interpretatur, qua
gemina dilectione constat, Dei & proximi, & hanc defec-
tam facit. Calvinus subdole: Nam quia luce Evan-
gelii clarius deregitur hominum malitia etiam in prole, &
recte animatus languescit, ac fere exstinguitur beneficentia stu-
dium. Zwinglius quidem sententiam Christi inuer-
tit: nam ideo caritatem illi refrigescere pronunciat,
quia iniquitatis diluvio opprimitur, & exstinguitur.
Calvinus ne concedere cogatur caritatem extingui,
adiicit, fere, at constat eorum caritatem refrigescere,
quorum perseverantia labascit: qui proinde salute
excidunt, nisi per attentionem agant.

VERSUS 14.

Et predicabitur hoc Evangelium re-
gni in uniuerso orbe in testimo-
nium omnibus gentibus: & tunc
veniet consummatio.

QVÆSTIO I.

An Evangelium ante consummationem sit
predicandum in uniuerso
orbe?

§. 1. DE prædicatione Evangelii in uniuerso mun-
do magna controuersia est. In aduersorum
denunciatione semper consolationem ad animos e-
rigendos intermiscet. Mæstos enim de suæ gentis ex-
cidio promissione conuersionis multarum gentium
solatur, ut recte obseruat Bedæ; Id vero præcipue,
quod nondum eo tempore gentium conuersio cre-
debatur. Chrysostomus adiungit, bellis vndique fie-
mentibus futurum, ut non modo viuere, sed doce-
re etiam possint, itaque nequaquam desperandum
duce Christo, & auspice Christo. Quamuis au-
tem de conuersione gentium non loquatur, sed E-
uangelii prædicatione, quod etiam incredulis pro-
mulgandum erat; hoc ipso tamen conuersionem
indicat, cum & eam prophetæ prædixerint, & præ-
dicatio sine effectu, consolationem datura non fue-
rit.

§. 2. An de consummatione vrbis Ierosolymita-
næ, an vero de fine sæculi loquatur incertum, quibus-
dam videretur. Chrysost. hom. 76. in Matth. Enthym.
Theophyl. Ambros. lib. 10. in Luc. Hieronymianus
comment. Hil. can. 25. Anselm. de vastatione Ierusa-
lem intelligere videntur, ita tamen ut aliam interpre-
tationem etiam complectantur. Eam sententiam q.
92. multis assequere conatur Abulensis. Nec minus et-
iam sectarii inter se dissident. Maior tamen pars eo-
rum de præsentis vrbe, & eius excidio interpretatur.

Vera

Vera est & textui conueniens interpretatio, de consummatione mundi verba Christi accipienda.

Hanc Augustini sententiam, & Ecclesie illius temporis fuisse multis ex locis constat. Epist. 78. Opportunitas vero illius temporis profecto non erit antequam predicetur euangelium in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus. Apertissima enim hac de re legitur sententia Saluatoris dicentis; Et predicabitur hoc euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Tunc veniet, quid est, nisi ante non veniet? Quanto post ergo veniat, incertum nobis est, ante tamen non esse venturum dubitare vti que non debemus. Si ergo susciperent hunc laborem serui Dei, vt peragrato orbe terrarum, quantum possent colligerent, quod remanet gentium, vbi nondum est euangelium predicatum, hinc aduere vti que possent, quantum hoc tempus longe sit a fine seculi. Quod si propter loca quadam inaccessibilia & inhospita fieri posse non creditur, vt a seruis Dei peragretur orbis, & quot quantaque sint adhuc gentes sine Christi euangelio, fideliter renuncietur: multo minus existimo, scripturam posse comprehendere, quanta vsque ad finem futura sint tempora, quandoquidem in eis legimus: Nemo potest cognoscere tempora, quae pater posuit in sua potestate. Vnde si iam nobis certissime nuntiatio fuisset in omnibus gentibus Euangelium predicari, nec fuisse possent dicere, quantum temporis remaneret vsque ad finem, sed magis magisque iam propinquare diceremus. Nisi quis forte respondeat tanta celeritate predicato Euangelio Romanas gentes, & pleraque barbaras occupatas, atque ita nonnullas non paulatim, sed subito ad Christi fidem fuisse conuersas, vt non sit credibile paucis annis, & si non vix nostra, qui iam seniuimus, certe iuuenum qui venturi sunt ad senectam, vniuersas omnino residuas gentes, euangelio posse compleri. Sed si ita erit, facilius cum factum fuerit probari experiendo quam legendo antequam fiat inueniri potest.

Et pariter lib. 2. de sermon. Domini in monte. Sic Cyrillus Catechesi 15. clarius etiam exponit, & ad omnia futura saecula extendit.

Origenes tract. 28. in Matthaeum. Et eo statu compositionis rebus, Euangelium, quod prius non fuerat predicatum in toto mundo (multi enim non solum barbararum, sed etiam nostrarum gentium, vsque nunc non audierunt verbum Christianismi) tunc predicabitur, vt euangelicam predicationem omnis gens audiat, & nemo derelinquatur, qui non audiat. Pari modo Damascen. lib. 4. c. 28. Gregor. lib. 35. Moral. c. 15. Theod. in 2. Thessal. c. 2. Beda hoc loco.

Videtur sane omnino requirere textus, vt ad extrema tempora referamus. Tunc erit consummatio, seu finis. Non ciuitatis sanctae, sed saeculi; Apostoli enim quaesierunt; quod signum aduentus tui, & consummationis saeculi: Christus respondet, tunc erit consummatio seu finis. Non modo non responderet ad interrogata, sed etiam falleret, si de mundi fine quaerentibus, diceret: post euangelium toto mundo praedicatum erit consummatio; & in animo subaudiret: Ierosolymorum & templi. Cum autem absolute consummationem nominat, vniuersalem, seu totius mundi esse intelligit. Quamuis aliqua signa praecesserint de Ierosalem, & de illa multa intelligantur, non omnia tamen conueniunt. Deinde auctores qui in diuersam sententiam citantur, non repugnant huic interpretationi. Nam signa communia cognoscunt, vt typi, & eius cuius est figura; vt monet Chrysostom. homil. 11. in Matthaeum, & hoc loco: ὅτι καὶ τῶν ἱεροσολύμων εὐθείας, οὐτε καὶ δούλους αὐτῆς παραστὰς ἔρχεται, sed de malis, quae iam in ianuis erant, itaque de signis vtramque consummationem praecedentibus agi existimat.

Finis absolute positus pro mundi consummatione.

A Ierosolymorum clade ad finem mundi transit.

Ipse etiam a v. 23. Transitus ait fieri a Iudaicis calamitatibus ad Christi aduentum. πικρὰς αὖτε τῶν ἱεροσολύμων, εἰς τὴν αὐτῆς λαοῦν ἀγαθὰς παραστὰς, καὶ λέγει αὐτοῖς τὰ σημεῖα, ὅσα ἐκείνοις χρεώματα μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡμῖν, καὶ τοῖς μετ' ἡμῶν ἐσόμενοις πέποι. i. e. Postquam compleuit ea quae de Ierosolymis erant, de reliquo transit

ad eius aduentum, & signa praedicat, non illis modo, sed nobis, & omnibus posteris viliis. At illa signa Christus iungit cum magna tribulatione, & aliis quae ad Ierosolymam referunt. Tunc si quis dixerit: nempe in illa tribulatione, igitur & illa signa ad secundum aduentum etiam spectant. Hilarius plane contrarium existimat; sed abominationem interpretatur Antichristum Anselmus vtramque sententiam disiunctim refert.

Adeo vero certa visa est haec sententia, etiam hareticis Iunio & Sutiuius, vt expresse doceant, predicationem Euangelii praecessuram aduentum Christi & citant Hilarium, Cyrillum, ceteros omnes, praeterea Damascenum. Quamuis in eo erroris ipsos conuincit Grefterus noster defen. lib. 3. cap. 4. Quod negant praecedere Antichristum, nusquam enim hoc patres dicunt, sed contrarium; nam Antichristum cum aduentu Christi, & saeculi fine coniungunt exiguo intervallo. Quod verum aiunt Antichristum non ante palam dominaturum, quam Euangelium palam predicari desierit, contra ipsos facit. Sequitur enim Papam non esse Antichristum, adhuc enim Euangelium palam praedicatur.

§. 3. Obiiciunt haeretici locum ad Roman. 10. In omnem terram exiit sonus eorum. Et Coloss. 1. Sicut & in toto mundo est, fructificans, & crecens. Et: praedicatum est in vniuersa creatura, quae sub caelo est. Hoc igitur impletum esse volunt.

Respondet Bellarminus ex Augustino intelligitur unum per praeteritum. Augustin. verba Roman. 10. Quod autem dixit Apostolus (Rom. 10.) nunquid non audierunt? In omnem terram exiit sonus eorum & in fines orbis terrae verba eorum: quamuis locutus sit praeteritis temporis verbis, tamen quod futurum erat, dixit, non quod iam factum, & completum: Sicut ipse Propheta quo vsus est, teste, non ait: in omnem terram exiturus; sed, exiit, inquit, sonus eorum quod vti que nondum factum erat: quale est etiam illud: Foderunt manus meas & pedes meos, quod tam longe postea factum nouimus.

Itaque frustra Bellarmino oppugnando Augustinum lancinant Danæus & Sutiuius, vide Grefterum nostrum loco citato, pag. 851. Sutiuium impudenter; iterum mentitur: Augustinum loci ad Colossenses ne meminisse quidem, tantum abesse, vt sic exposuerit. Audiamus denique S. Augustinum. Multo minus mirandum est, quod etiam verbum praesentis temporis vsus est in eo, quod illud identidem dixisse, memorasti, propter spem, quae reposita est nobis, quam ante audisti in verbo veritatis Euangelii, quod aduent in vos, sicut & in omni mundo est fructificans & crecens, quamuis Euangelium nondum mundum tenebat vniuersum: Sed fructificare illud in vniuerso mundo dixit, & crescere, vt ita significaret quousque fuisset fructificando, & crescendo venturum.

Praedicatum igitur, quia iam in parte praedicatum, & in toto praedicandum. Sane Christi signum generale est, ad omnes, omnes inquam, gentes, Indos etiam qui sunt ad vtrumque solem, Aethiopes, Iapones, alios pertinent.

Hoc vero dominium Christo promissum est, Psal. 71. Apoc. 7. Itaque fideles omni in gente erunt, vt omnes gentes aut credant, aut reddantur inexcusabiles. Nec vnus aut alter occulte, sed publice seruiunt illi gentes, nomen eius professae, vt in vtraque India aeternum memoria ceptum est. Nec satis est fama, vel rumore aliquo de Euangelio inaudisse gentes, sed opus est illis sufficienter proponi, testimoniis, exemplis, signis & virtutibus, vt euidenter credibilia iudicent, quae audiunt, alioqui non redduntur inexcusabiles. Cetera videri possunt apud Bellarmin. & Grefterum loco citato.

VERSVS